



Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In
sex partes tributæ

Qvæ Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

56. De inuitatis ad nuptias & ad cœnam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

experimentum cape in capite alieno, priusquam ultio veniat super tuum: attende, quod Deus eos deserat, qui ipsum relinquunt. Et nouit bene, fidem suam ab vno regno in alterum, & regna ipsa & dignitates ab vno homine in alium transferre; auferendo illa ab eo qui habet, propter eius culpam; & alios in eius locum substituendo: & si aliquis deficit in fide, aut religione quam est professus, vocabit innumeros alios, qui in ea perseverantes fructus eius proferant. *b Tene igitur quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

b Apoc. 3. 11

MEDITATIO LVI.
DE PARABOLIS AD NUP-
TIAS, & ad coenam inui-
tatis.



AE duę Parabolę simul pro eadem meditatione assumi possunt, ob magnam affinitatem quam inter se habent, & quia ad eundem finem dirigi possunt.

PUNCTVM I.

a Mat. 22. 2
a Luc. 14. 16

SIMILE est a Regnum calorum homini Re-
gi, qui fecit nuptias filio suo, & vocauit
multos ad eas.

I.

CONSIDERANDVM primò, quod Pa-
ter æternus Rex cæli & terræ sola sua bonita-
te &

te & misericordia voluit filium suum vni-
genitum desponsare sibi naturam humanam,
coniungendo illam sibi in vnitatem personæ,
tot donis gratiæ & virtutum ornatam,
quot par erat habere sponsam talis filii, qui
in omnibus esset æqualis Patri. O Pater su-
preme, quid te permouit, ut velles filium tuum
ad eam abiectam & turpem sponsam ducere?
nunquid non nobilior & pulchrior erat na-
tura Angelica? cur ergo, Domine, hac omissa,
illam ei dedisti? si propterea id fecisti, quod et-
si hæc vilior & deformior esset magis ea gra-
tia indigeret, id quidem verum est: sed in hoc
ipso aduerto excessum charitatis tuæ, quæ li-
bentius se demittit ad honorandum, & opem
ferendam iis qui & abiecti sunt & in maiori
necessitate constituti. Laudent te propterea
omnes creaturæ tuæ, & anima mea in tuis
laudibus liquecat.

SED vterius adhuc cælestis huius Patris bo-
nitas est progressa: nam etiam voluit filium
suum verum Deum & hominem desponsare
sibi nuptiasque celebrare cum *b Ecclesia*, quæ
est congregatio fidelium, coniungens sibi a-
nimas iustas vnitioe charitatis, easque vir-
tutibus ornans, prout decebat sponfas supre-
mi Regis. Agnosce, o anima mea, dignitatem
ad quam Deus te vult eleuare: lauare poenitentia,
vngere deuotione, ornare virtutibus cælestibus,
ut in sponsam cælestis huius sponsi recipiari.

SED neque hic sistit nostri Dei bonitas:
si enim hoc beneficium obtulisset paucis
aliqui-

II.

b *Osea* 2. 7.b *2. Cor.* 11.

2.

b *Eph.* 5. 25.

III.

aliquibus animabus tantum, utque hominum nobilissimorum, aut eruditissimorum, aut insignis alicuius conditionis, fuisset procul dubio magnum beneficium: sed maius omnino est, cum vocat plurimos, qui sint harum nuptiarum participes, nullo homine excluso, etiam vili, rerum ignaro, aut magno peccatore, etiam qui diuinæ huius desponsationis fidem violauerit. O immensum charitatis Dei pelagus! quo modo abyssum hanc charitatis considerans, non ex eo extra me ipsum, o anima mea, excitare ad diuinam hanc desponsationem, quæ tibi offertur, acceptandam; quæ ex deformi in pulcherrimam, ex vili in nobilissimam, ex inope in ditissimam, & ex terrena mutaberis in cœlestem.

PUNCTVM II.

AD harum nuptiarum solennitatem tã Rex cœlestis, quam eius filius IESVS Christus solenne instituerunt conuiuium & a cœnam magnam, & cum iam omnia parata essent, b misit Rex seruos suos vocare inuitatos, vt venirent ad cœnam,

a Luc. 14. 17

b Mat. 22. 4

CONSIDERANDVS est huius cõuiuii splendor, quod Deus hominibus preparat: in quo tria fercula aut tria genera pretiosissimorum ciborum proponuntur. *Primum* est doctrinæ cœlestis, ac diuinæ, ad nutrimentum intellectus fide illustrati, qui hoc cibo censetur vesci, cum audit verbum Dei, cum sacros libros aut aliàs pios legit, aut cū seor-

sim

sim eam meditatur; offerente illi Deo magnū
 Inmen & voluptatem in illa. *Secundum* est
 præceptorū, & admirabiliū magnæque per-
 fectionis consiliōrum, ad alimentum volun-
 tatis salutis suę cupidæ: quo ferculo vescitur,
 cū Dei voluntatem exequitur in omnibus
 quæ ille præscribit, & consulit; tribuens ei
 magnam lætitiā in beneuola hac obedien-
 tia. *Tertium* est Sacramentorum, quæ magna
 vi sunt plena, ad communicandam gratiam,
 virtutes & dona cœlestia; quæ viuificant, a-
 lunt, & perficiunt animas: inter quæ præstan-
 tissimum est sanctissimum altaris Sacramen-
 tum, in quo ipsemet sponus IESVS Christus,
 verus Deus & homo, dat in cibum suum reale
 & verum corpus, speciebus panis velatum; &
 suum verum realemque sanguinem sub vini
 speciebus in potum ad nutritionem, & spiri-
 tualem animarum, quæ illum recipiunt, in-
 dulgentiam: & vt illas sibi tanquam sponsas
 coniungat, perfecti amoris coniunctione. O
 supremum conuiuium, o cœna magna supra
 omnes quæ fuerunt hæctenus, & futuræ sunt;
 & denique omnium excellentissima! *c O bea-* *c Apoc. 19. 9*
tos illos qui ad cœnam hanc nuptiarum, Agni vo-
cati sunt, in qua Agnus ipse Dei, qui tollit
 peccata mundi, est, qui inuitat, est ipsum con-
 uiuium, & qui illud instituit, & qui verè co-
 meditur; hoc cibo, hoc est seipso purificans
 comedentem, eumque cœlestibus delitiis re-
 plens. Aperi ergo oculos anima mea, & dili-
 genter attende, te non ad planctum sed ad

II.

III.

R r

nuptias

nuptias & conuiuium vocari, quod si ad planctum vocaris, id erit, vt tua peccata, & exitum præparationem tuam, ad tale conuiuium plangas; & hac ratione te dignam efficies cui possis interesse.

IV.

DENIQUE considerandum est, omnes huius mudi homines inuitatos esse ad prædicta tria fercula; & p prædicatores, qui huius Regis & sponsi sunt serui, & per secretas inspirationes, vt ad conuiuium veniant, vocari. Si quando igitur impulsus aliquem interum in corde sensero, qui me ad trium rerum prædictarum exercitationem permoueat, intelligam me à Deo vocari, vt ipsius inter sum conuiuium, & delitiis fruam.

PUNCTVM III.

a Mat. 22.3

b Luc. 14.18

DVM inuitati, vt ad nuptias veniret, vocarentur, a nolabant venire b sed ceperunt simul omnes excusare & negligentes a abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerunt seruos eius. & contumelijs affectos occiderunt.

c 1 Ioan. 2.16

CONSIDERANDVM hic est, tres fuisse, qui nominatim ad cenam venire recusarunt; adferente vnoquoque proprium vitium, quo laborabat, & venire impediatur; quibus nos etiam impedimur & retardamur: quæ S. Ioan. enumerat dicens: c omne quod est in mundo est concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.

PRI-

DE VOCATIS AD NVPTIAS. 627

PRIMVS dixit: *villam emi, & necesse habeo exire & videre illam: rogo te habe me excusatum.* Vbi notatur superbiam vite, visusque, & aliorum sensuum curiositatē, & sollicitudinē aspiciendi & ad res proprias attendendi, impedire nos, quo minus diuinæ vocationi respondeamus.

I.

SECUNDVS dixit: *iuga boū emi quinq;, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.* Ex quo intelligitur, quod rerū temporalium cupiditas, & nimie negotiationes, & occupationum non necessariarū multitudo, illud ipsū impediāt.

II.

TERTIVS dixit: *uxorē duxi, & ideo non possum venire.* hic non dixit: *habe me excusatum:* vt significetur, quod matrimonii voluptas hominē inebriauerat, & alienauerat à mente, q̄ si voluptas carnis ex se alioqui licita, quia tamen nimium illi attenditur, impedit ad tale conuiuiū venire, quid faciet illicita illa, & lege Dei prohibita voluptas? Ex quo intelligam ego quodnam istorum vitiorum impediāt me ad tale cōuiuium accedere; & doctrinam Christi audire, & illam legere & meditari: & opere exequi, & Sacramenta suscipere; & cum cognouero, operam dabo, illo impedimento remoto, Diuinæ vocationi respondere: alioqui comprehendet me seuera Christi sententia in istos rebelles lata, cum dixit: *Amen dico vobis quod nullus virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit carnem meam.* Iusto enim DEI iudicio in peccatam rebellionis illorum permittuntur obire

III.

IV.

mortem non susceptis Sacramentis; aut si forte suscipiant, fructum tamen non sentiant. Ex quo fit, ut à cœna quoque & conuiuio, quod Deus in cœlo præparauit pro iis qui illi hic obediuerunt, excludantur. Time igitur ac treme anima mea ab hac sententia: quod si te amor, ut nunc ad hanc cœnam accedas non vrget, vrgeat saltem timor ne ab illa æternum excludaris.

V.

DENIQUE qui impudentius seruos Regis occidunt, à quibus vocantur, illi sunt qui horrent prædicatores, & confessarios, & eos quorum vitia reprehendunt; & consulunt, quod illis expedit: quibus ipsi gladio linguæ honorem & famam auferunt; & quod in se est, etiã corporis & animæ vitam. In quos Rex cœlestis vehementiùs indignatur, quia supra peccatum, non veniendi ad cœnam, hoc alterum addiderunt; quod ipsius nuntios affecerunt ignominia: quorum propterea pœna erit, non solum à cœna excludi; sed occidi etiã & ciuitatem eorum, hoc est omnia quæ habent, succendi; crescente pœna ad mensuram culpæ. O Rex æterne, emollias duritiem rebellium Iudæorum, Hæreticorum & infidelium, qui diuinis tuis inspirationibus resistunt, & occidunt seruos & ministros tuos, qui illos ad nuptias & conuiuia tua conuocant: contine Deus iram tuam, & misereere eorum.

PUNCTVM IV.

TUNC ait a Rex seruis suis; Nuptia qui
dem parata sunt: sed qui inuitati erant,
non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus
viarum, & quoscunque inueneritis vocate ad
nuptias. Et egressi serui eius in vias congrega-
uerunt omnes quos inuenerunt malos & bo-
nos; & impletae sunt nuptiae discumbentium.

a Mat. 22. 8

PERPENDENDA hic est primùm im-
mensa Dei liberalitas & charitas, qui non fa-
stidit genus hominum, etiam si multi, ipsius
conuiuia & fauores contemnant, quamuis
principes illi sint, eruditi, aut alias excellen-
tes, quos par esset alias ciuiliores & minus
impudentes esse: potius videns ipse, huiusmo-
di principes culpâ suâ indignos se reddere
beneficiis, quæ ille offert, vult efficaciter
vocare ad eadem, vilés & despectos homines,
& eos qui nihil in mundo habent, cui cor il-
lorum sit implicatum.

L

AD MITTIT verò bonos & malos,
eos scilicet qui aptam aut ineptam natura-
lem conditionem; bonas aut malas propen-
siones habent: vt omnes accedentes ad i-
psius conuiuium, boni & sancti fiant: quam-
uis aliqui postea futuri sint mali. Maio-
rem verò adfert admirationem, quod no-
minatim iubeat vocari, b pauperes ac debi-
les, & cæcos, & claudos: quod si adhuc locus
vacet, iubet in vias & sepes exire, & obuios

II

b Luc. 14. 21

Rr 3

quos-

quoque compelli intrare, non brachiorum vi, sed miraculorum & rationum; & ea vi, quam infert bona & sancta vita concionatoris. Et idem Dominus diuinatum & efficacium suarum inspirationū lumine interne illos compellit, vt sponte & magna sua voluptate sese dedant; ac veniant, quo vocantur.

O PATER misericordix, qui neminem inuitum cogere vis tibi seruire; vrge & compelle me Domine; interna hac vi, vt rebellem voluntatem meam mutem, & lubens eam tuæ subiiciam. Respice supreme Pater, quod mundus iste plenus sit cœcis, claudis, debilibus, & miseris peccatoribus, qui nec viam vident, qua ad nuptias tuas sit veniendum; nec pedes habent, vt venire possint; nec vires, vt incipiant; nec facultatem vt prosequantur. Scio Domine te esse promptum ad illis dandum quidquid deest, vt re ipsa venire possint: sed bonitati tuæ supplico, vt re ipsa des lumen cœcis; rectos pedes intentionis & affectionis rectæ claudis; robur debilibus; & gratiæ facultatem mendicis, compellendo eos iucunda vi tuæ inspirationis; vt sanctæ tuæ vocationi obediant.

III,

DENIQUE perpendam, qua ratione domus & mensa Dei, vocatis ad eam impleatur: quia Deo nunquam desunt media, quibus quæ designauit & decreuit, ad finem perducatur; & ad electorum numerum explendum: nam, his resistentibus & venire,

recu-

recusantibus, scit, potest, & vult alios ita vocare, vt non resistent: ideoque non est timendum, quod domus Dei non sit replenda, quando ille vult vt repleatur; neque religiosi familiis deerunt homines ad eas vocati, siquidem Deus illas instituit; & ipse est qui vocat homines ad illas. Ex quo occasionem sumam alicuius consolationis, vt sustineam miserandos multorum lapsus & ruinas, quas video in mundo; & confidam de cœlestis Patris prouidentia, quod sit illas reparaturus, medijs sapientiæ ipsius notis, etiam si ego illa non assequar.

II.

PUNCTVM V.

INTRAVIT autē a Rex vt videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi; Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

I.

PERPENDAM hic primò non sufficere, si diuinæ vocationi consentiens, veniam ad cœniuiũ & cœnam cum sola virtute fidei; sed oportere venire in veste nuptiali, quæ est charitas & innocentia vitæ, quæ reddit hominem dignum, qui nuptiis huiusmodi interfuit; & inuitanti Deo placere possit. Hac veste indutus esse debet, qui cibum sumit doctrinæ & obedientiæ, legis, & Sacramentorum, præcipuè corporis & Sanguinis Christi Domini nostri: & qui re ipsa illam

non habet, ita tamen dispositus accedere debet ad Sacramenta, vt eam per illa recipiat.

II.

DEINDE perpendendum est, cœlestem hunc regem ad finem conuiuii, qui erit in fine mundi, aut in fine vitæ vniuscuiusque, venturum, vt inuitatos homines visiter; & eorum opera & vitam diiudicet, examinans num sit aliquis inter illos, qui non ea decencia, qua par fuit, conuiuium interfuerit; vt seueris eum suppliciis afficiat, sicut eos affecit, qui ad cōuiuium venire recusarunt: vt enim ipsum offendit, qui inuitatus ad conuiuiū venire recusat, ita eundem offendit qui venit quidem sed negligit vestem charitatis, & vitæ innocentia, cuius loco habet antiquam vestem laceram & peccatis maculatam.

III.

HOC autem iudicium nemo potest effugere: quæ causa est, cur etsi plurimi sint mali, qui damnentur; solū hic dicatur Regem vidisse vnum sine veste nuptiali. Vt intelligamus. *Primum* quamuis inter omnes Christianos totius orbis non nisi vnicus indignè cōmunicaret, aut legem diuinam non seruaret, eum tamen non posse diuinos oculos effugere: quia etsi solū & in tanta multitudine, Diuini oculi illum notarent, atque damnarent. *Deinde*, vt etiam intelligamus, huiusmodi condemnationem adeò esse horrendam malum, vt licet ex omnibus Christianis non nisi vnicus damnandus esset, id sufficeret, vt reliqui omnes timerent, & trepidarent ac tremarent, quod nemo sciret,

ret, num ipse sit futurus ille, qui damnetur: quanto itaque magis timere quisque debet, cum plurimi sint damnandi? eò enim spectat, quod Christus adiecit, *multi sunt vocati, pauci verò electi*: quia etsi plurimi quidem sunt vocati; pauci tamen ad conuiuium conueniunt, & pauci qui in eo sint cum veste nuptiali, si cum illis conferantur, qui Diuina vocationi resistunt.

DENIQUE perpendam terribilem illam Christi Domini reprehensionem, quam fecit, non ex odio hominis, sed ex zelo iustitiæ contra peccatum & peccatorem obstinatum: & propterea *amicum* illum appellat ac dicit: *Amice: quomodo huc intrasti?* atque si illi liceret: quis tibi tantam dedit audaciam, vt veste adeo sordida, & quæ aspicientibus stomachum moueat, nuptiale conuiuium ingredi dereris?

O quanto pudore infelix peccator afficietur, cum experietur adeo seuerè à Christo Domino in præsentia Angelorum eius reprehendi; seque adeo conuictum esse, vt *obmutescat*, nihil habens quod respondeat. O bone IESV sic me reprehende in hac vita benignè, vt ego præ humilitate tacens, correptionem tuam ad meam emendationem acceptem, vt sic vitam æternam consequar: Amen.

IV.

PUNCTVM VI.

Mat. 22. 13

TVNC dixit a Rex ministris. Ligatis manibus & pedibus eius : mitte eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati pauci vero electi.

PERPENDENDA hic est huius sententiae tremenda seueritas, & poenae quae in ea exprimuntur, quae sunt quatuor.

I.

PRIMA est perpetui carceris, absque ulla spe liberationis ab eo : hoc enim notat illud : *Ligatis pedibus & manibus* ita ut in poenam dissolutionis, qua vixit in hac vita ; nunc ita ligetur, ut soluere se non possit.

II.

SECUNDA est obstinationis in malo : sublata ei libertate faciendi bona opera, quae per manus significantur : & bonos affectus concipiendi, qui significantur per pedes, in poenam quod ipse in hac vita pedes & manus, inordinatarum suarum passionum & affectionum catenis ligauerit.

III.

TERTIA poena est extremarum & horribilium tenebrarum, tam animae ob priuationem visionis Dei & obscuritatem iudicij miseria sua stipati ; quam corporis, ob externas infernalis loci tenebras, cuius ignis comburet quidem, sed nullum edet lumen, ut suo loco dictum est.

Medit. 17.
1. part.

IV.

QUARTA poena est perpetui fletus, & stridoris dentium : flebit enim amarè memor

mor

mor conuiuij, in quo fuit, & commoditatis, quam habuit obtinendæ salutis, quam suâ in curiâ neglexit; non amplectens opportunam, quam habebat occasionem: flebit etiam ob cruciatus quibus afficietur. Fletui autem adiungeretur stridor dentium, ex rabie & impatientiâ tormentorum: quia videbit nullam esse spem illa euadendi.

HOC totum Rex imperabit ministris, iustitiæ, executoribus, qui sunt dæmones; qui infelicem illum conuiuiam rapientes, extrahent ex domo conuiuij, quæ est Ecclesia; & proiicient in carcerem inferni; vbi erit eius habitatio.

O Rex æterne Iudex rectissime, cuius iudicia sunt recta, quamuis in malos terribilia: En ego me coram tua maiestate constituo, manibus & pedibus ligatum, non catenis obstinationis, sed obedientiæ; & præparatum, vt non resistam ijs, quæ mihi mandaueris. Confirma Domine hanc voluntatem vinculis charitatis, vt constans in tuo amore & obedientia, perueniam ad te videndum & fruendum in secula:
Amen.